



IX, 26.

ANNO MDCCLXVII

ANTONIUS

MARCHIONIS MISNE

IN SR IMPERIA

ET DOMVM AUSTRIACAM

HISTORIA DOCUMENTA

CAROLVS OTTO RECENBERG

ACAD TOMA HERITSCHE

M DCC XLI

2, 14
18, 26

ORATIO
DE FIDE
DOMUS
SAXONICÆ
IN
DOMUM
AUSTRIACAM,
QUA
SCHOLÆ ILLUSTRI MISNENSI,
POST EXACTUM IN HAC SEXENNIO,
d. VI. Cal. Aug. A. d. locc xxx.
PUBLICÉ VALEDIXIT
CAROLUS ERNESTUS L. B. de METSCH.

DRESDÆ,
LITTERIS HARPETERIANIS.

ORATIO
DE HIDE
DOMUS
SAXONICA
IN
DOMUM
AUSTRIAEC
SCHOLÆ ILLUSTRIMISNSER¹⁷⁴⁶
POST EXCECTUM IN HIC SAXENIUM
PATERICE AVERBIXIT
GEORGII ERNSTI L. B. METZELI

PRAESDÆ
LITTERIS HARFETERRIVENS



I qua gens, si qua domus illustris inter
eas, quibus Europa superbit, cum do-
mo Austrica intime fuit conjuncta,
Saxonica certe hoc decus sibi præ ce-
teris jure vindicare potest. Tria jam,
& quod excurrit, effluxerunt secula,
quibus arctissimum utriusque domus
amicitiæ nexum tota, qua patet, Germania miratur.
Prima hujus rei fundamenta, si paulo accuratius animo
mecum perpendo, in mutua domuum harum consanguini-
nitate quærenda esse arbitror. Stirps Saxonum Alber-
tina pariter ac Ernestina eundem cum Austrica pro-
avum venerantur. Fuit hic glorioissimæ Princeps me-
moriæ, Ernestus, Archi-Dux Austræ, Belgique Hispa-
nici præfectus. Hic est, ex quo, tanquam ex fonte, quic-
quid mutui amoris Saxones inter & Austriacos depre-
hendimus, profluxit. Hic est, qui, Margaretha filia Fri-
deri-

A 2

derico Placido Electori Saxoniæ in matrimonium data,
 primus amicitiæ vinculo utramque gentem constrinxit.
 Amicitia hæc cognatione genita, majora indies mutua
 affinitate cepit incrementa. Varia, qui res Saxonum
 gestas memoriam tradiderunt, de nuptiis ultro citroque
 has inter domus contractis narrant exempla. Ut taceam
 enim Henricum Illustrem Marchionem Misnensem, qui
 Constantiam Leopoldi ex pristina gente Austriaca oriundi
 filiam duxit uxorem; jam commemorati Friderici Pla-
 cidi frater Wilhelmus, qui Annam Alberti II. Imperato-
 ris filiam in Saxoniam secum & thalamum deduxit, in-
 star omnium esse posset, nisi aliud, quod præterire nefas
 duco, exemplum restaret. Quis, quæso, non novit
 Austriacam illam Mariam Josepham, Principem nostram
 Serenissimam, quam lætabunda jam complexu suo
 Saxonia fovet? Quem fugit, mutuum Saxonum & Au-
 striacorum erga se affectum auspiciis ejus ac præsidio
 summum nunc fastigium ascendisse? Floreat decus hoc
 Saxoniæ solatiumque, floreat, inquam, nepotumque ne-
 potes secure amplectatur. Grato huic affinitatis vincu-
 lo communis, quo mortales trahuntur, patriæ amor jungatur.
 Utraque enim gens in eo semper conspiravit,
 ut patriæ communis, Germaniæ scilicet, salutem nun-
 quam non curæ haberet, inque eam amorem testaretur
 plane singularem. Et hæc profecto concordia tam fir-
 mo nixa est fundamento, ut nulla ratione labefactari,
 nedum plane aliquando destrui potuerit. Quæ cum ita
 sint,

sint, haud subit mirari, stirpem Austriae domumque Saxoniam sibi invicem tam singularem benevolentiam fidemque prorsus intemeratam quavis data occasione exhibuisse. Et certe, si omnia hæc minus fucatae fidei specimina longius recensere vellem, vereor, ut integrum volumen, nedum hæc pagellæ, ista sint capturæ. At vero, brevissimas jamjam ducere lineas, temporis ratio jubet. Hinc de fide tantum domus Saxonicae in domum Austriae dicere quædam apud animum constitui. Ultima jam ex hoc loco ad Vos, Auditores, quot quot adestis, honoratisimi, verba facere licet. Nihil in votis habeo magis, quam ut digna ejusmodi Viris mea sit oratio. Summa tamen vestra humanitas optima quæque me sperare jubet. Adeste, itaque, auribus vestris! Adeste benevolentia vestra! Adeste, inquam, deque gentis vestrae laude, quantum lubet, vobis decerpite. Sed ex diverticulo in orbitam redeamus. Fides Saxonum in Austriae nullo non tempore fuit maxima. Nemo hac de re, nisi cui de omnibus ambigere volupe est, dubitabit. Et auctu certe nimis temerario istud negaretur, quod rerum in Germania gestarum conditores uno quasi ore contentur omnes. Agedum itaque! Evolvamus optima historiarum monumenta. Percurramus temporum seriem. Attendamus, quorum auspiciis, qua data occasione, qua ratione fides hæcce potissimum præstata fuerit & declarata. Nulli unquam regioni tam felici esse licuit, ut, semper ab omni hoste immunis, nullum plane armo-

rum strepitum intra fines suos audierit. Quid inde,
 quæso, colligi potest facilius, quam sua Austriae etiam
 numerare bella. Pacis quidem, si qua regio alia, fuit
 studiosissima. Neminem temere læsit, nec prius, quam
 lacesita, in pugnam procescit. At vero, semel stricto
 gladio, non ante domum reversa est, quam exoptatam
 & victoriam & pacem secum reportaverit. Plurimos
 certe eosque fortissimos hostes Austriae experti sunt.
 Nec in levi sæpius periculo jura illorum sunt versata.
 Semper tamen, qui ista defenderent, adfuerunt. Omnes
 fere hostes sua sociorumque virtute facilis negotio supe-
 rarunt ac prostraverunt. Hos inter socios Saxones re-
 liquis palmam facile præcipiunt. Quoties, quæso, in
 Austriae subsidium copiis suis advolarunt? Quoties
 una conjunctis viribus in bellum sunt egressi? Quot
 prælia tentarunt? Quot hostium strages ediderunt?
 Quot urbes expugnarunt? Quot obsidione liberarunt?
 Ita plane, ut difficile sit judicatu, utrum Austriae inter-
 dum calamitas, an Saxonum fides fuerit major. O præ-
 clara harum rerum memoria! Prodeant jam in medium
 fidissimi illi Saxones, qui pro Austriae salute opes, co-
 pias, &c, quod mirandum, vitam ipsam lætis lubenti-
 busque animis obtulerunt. Prodeant fortissimi Austriae
 gentis propugnatores, quorum ope non raro hostes
 illius externos non magis quam internos successu haud
 infeli debellati sunt. Quod si non solam potentissi-
 mam familiam, quæ jam Austriae gloriose domina-
 tur,

tur, sed ipsas provincias & regna spectare velis, recte
 in illis, qui pro regno Bohemiæ, Austriacæ domui nunc
 parenti, copias suas eduxerunt, in primis connumerari
 potest Fridericus, cui asidua bella & frequentes victo-
 riæ nomen Bellicosi dederunt. Hic prius jam, quam
 Princeps Elector ab Imperatore constitueretur, Si-
 gismundo Pragam obsidione cingenti anno supra mil-
 lesimum quadringentesimo vigesimo suppetias tu-
 lit. Eleitorali postea dignitate auctus majora quoque
 fidei suæ in domum Austriacam specimina edidit. Hus-
 sitæ, tum temporis seditionem facientes, Bohemiam longe
 latèque vastant, flammisque & ferro miscent omnia.
 Horum conatibus Fridericus ut obicem ponat, numero-
 so cum exercitu adproperat. Utrinque dubio Marte
 diu pugnatur. Saxones tandem prope Ausfizium anno
 seculi decimi quinti vigesimo sexto fortissime dimican-
 tes calore magis solis, pulvere & fame, quam hostium
 armis, vici, ad unum ferme omnes in acie cæduntur.
 Quæ res effecit, ut optima nostra Saxonia milite omni
 destituta atrocissimis hostium irruptionibus pateret.
 Neque tamen hæ clades fuere tantæ, ut ad pium in vi-
 cinam Bohemiam animum deponendum Fridericum in-
 ducerent; Quoad spiritum illi trahere licuit, pietatis suæ
 in gentem Bohemicam, fœderisque æterni Caroli IV.
 jam auspiciis de mutuo auxilio ferendo ac amicitia per-
 petuo colenda cum ipsa initi haud fuit immemor.
 Quin filio etiam suo Friderico, qui Placidi cognomen

postea

postea accepit, eandem fidem, eandem instillavit pietatem. Moribundus etiam filios suos Fridericum ac Wilhelmum accersi ad se jus sit. His præsentibus filio natu majori: Et tu, inquit, mi fili, Friderice, ejusmodi, quæso, te principem Electorem geras, ut me habuisti Ducem. Hac ratione Imperio Romano non poteris non gratus esse, atque acceptus. Et uterque profecto fratrum patris vestigiis nullo non tempore conatu plane egregio institit. Husitas tum adhuc rebellantes fratres plus semel sunt aggressi. Initio quidem fortuna usi sunt non adeo secunda. Ter, ad Neissam nempe in Silesia, Tauchæ & Grimmæ pulsi, miseram patriæ devastationem tristes intueri coacti sunt. Nova tamen cum novo Imperatore illis fortuna affulxit. Regno enim Germanico ad Albertum II. Austriacum delato, novas Husitæ morti sunt turbas. Hinc pii fratres, collecto exercitu, subfido Imperatori currunt. Exeunt anno 1437. prope Sternbergam in aciem. Conferunt arma. Prælium acri certamine faciunt. Vincunt hostem & in fugam conjiciunt. Ipse belli dux Bohemorum, Wilhelmus Dynasta in Sternberg, cum plurimis suorum captivus ducitur, qui omnes interfici, manibus militum Misnensium quondam cæsis parentant. Neque hoc victoriæ sat is erat. Laurea laureæ, tropæum tropæo additur. Novas anno sequenti Husitæ contrahunt copias. Redintegrant bellum. Ruunt in aciem. Acerrime Selmizii pugnant. Iterum tamen penes Saxones est victoria.

Tria

Tria hostium millia occidione occiduntur. Quatuor millia abducuntur. Reliqui dissipantur. Et sic tandem Bohemia ab hoste infensissimo liberatur. Sic Austria maximam expugnatæ Bohemiæ partem Friderici nostri Placidi victoriis debet. In Vienna quoque ab hostium insultibus liberanda, Saxonum non contemnendæ partes sunt. Matthias enim Hungariae Rex variis causis, nescio num justis, commotus, bellum Friderico III. Imperatori infert. Misere miles Hungarus Austriae fines devastat, ipsique Viennæ anno 1474. obsidionem minatur. Principes Imperatorem deserunt omnes. Solus Saxonie Dux Albertus equitatu suo, quam potuit citissime, advolat. Fugat hostem. Pacem Austriae exoptatam reddit. Annis quibusdam interiectis, cum Matthias de novo copiis suis Austriam infestaret, revertitur Albertus. Pecunia & milite Imperatorem sublevat. Nec ante, quam hoste ex agro Lorchicensi trans flumen Anasum profligato, domum redit. Vos ipsos, Auditores honoratisimi, dabo judices, num iste non pro fortissimo jure sit habendus, qui socios non tantum suos, sed & potentissimum ac infensissimum nominis sui hostem in maximam virtutis suæ admirationem rapit. Vos statuite, num præclarius intemeratae fidei testimonium cogitari poscit, quam si hostis de hoste suo libere profitetur: Alteri pereundum fuisse, nisi hic auxilium tulisset. Et hæc de Alberto nostro, Matthias, Pannonum Rex prædicavit. Dixisse illum ferunt, neminem præter Albertum

B

mili-

militum suorum impetum refrenare potuisse, eumque solum e ceteris Germaniae Principibus ducem nominandum. Hic modo si consiliis suis & validissimo exercitu non obstatisset, se in ipsis Germaniae visceribus castra brevi metaturum esse. Sic sola Alberti praesentia Imperatoris sui hostibus terrorem incussit. Evocatus is fuerat ab Imperatore, ut Carolum Burgundum, qui Antistitis Colonensis Ruperti partes a collegii Canonicorum conatibus vi & armis defendebat, Novesiique expugnationem tentabat, a Germaniae finibus arceret. Colligit itaque copias suas Albertus, & magnis itineribus ad Rhenum pergit. Vix autem venit, vix vidit hostem, cum Carolus, obsidione Novesii soluta, de felici belli exitu desperans, discederet. Nec tamen tantis expeditionibus *dextra hac Germania* debilitata fuit. Restant adhuc facta quædam non minus splendida. Maximilianus I. Rex Romanorum designatus, cum minori apparatu & magnificentia, quam Regem decere plebs superstitione autumat, Flandriam ingrederetur, contemtu suis esse coepit. Ad hunc summa populi indignatio & acerbum odium, quod avaritia & rapacitas quaestorum ipsi contraxerat, accessit. Haec res in causa fuere, ut plebs Flandriæ indomita in rabiem versa nil nisi vindictam meditaretur. Maximilianum itaque, cum vix Brugarum mœnia intrasset, ausu certe satis temerario captivum detinet. Pontifex quidem Romanus anathemate Bruges infidos percutit. Sed nihil turba fera fulmina Romana

mana timet. Interim fama hujus rei litteris Imperatoris ad aures Alberti Saxonis defertur. Hic nefandum hoc Brugensium scelus ægerrime ferens, atrocem de seditionis his ultionem sumendam esse statuit. Convocat celeriter milites suos. Expeditionem in Belgum parat. Non lites, quas Ladislaus, Bohemiæ Rex, cum Friderico fratri filio alebat, non periculum, quod Saxoniæ ab irato Matthia Hungaro imminebat, non pertinacia nobilium & purpuratorum, qui ab alienis his & nimis gravibus negotiis retrahere Principem tentabant, a proposito Albertum detinere possunt. Pergit potius, quo insitus Austræ amor, & candida in Maximilianum fides ire jubet. Nuntius quidem in itinere de liberato jamjam Maximiliano adfertur: Nihilo tamen secius fidei suæ testandæ causa Belgum cum equitatu suo petit, & Mechlinii in amplexus Regis desideratisimi occurrit. Gandavensisbus postea ad officium reductis, toti Belgio, frequentibus licet incolis, præficitur. Pater filiorum suorum a Friderico Imperatore in conspectu omnium salutatur, & Maximilianus, se uni ipsi vitam debere, libere profitetur. Quanta porro industria Maximiliani partes in Belgio egerit, quanta virtute rebelles oppreserit, quot hostium phalanges prostraverit, quot urbes domino suo iterum subjecerit, dici vix potest. Hoc unum addo, Albertum tam præclare res suas in Belgio egisse, ut publicæ illi in Comitiis Norimbergensibus persolutæ fuerint grates. A Rege vero in grati animi significationem

ac ut firmæ amicitiæ haberet tesferam aurei velleris ordine ornatur. Adeat modo, qui strenua Alberti facta in Belgio penitus nosse cupit, rerum Belgicarum Scriptores, & habebit, quo commode desiderium suum explere poterit. Omnia hic enarrare longum foret. Ad ultimam nunc Alberti expeditionem deveniamus. Ingentes Dux Saxoniæ pro domo Austriaca belli sumtus fecerat, ita quidem, ut patriæ regiones pecunia, milite & tormentis plane exhaustæ essent. Hos, ut Maximilianus aliqua ratione compensaret, Imperii nomine, Electorumque consensu impetrato, Frisiā, Imperio rebellem, in Albertum, ut in ordinem sibi redactam servaret, transcripsit: Sed o fatale donum! Frisiī Romano Imperio aduersi, crebras in Zeelandiam excursiones faciunt. Hos ut Saxo perdomaret, armata manu Frisiā aggreditur, cœptisque successus ex voto respondet. Devictis seditiosis filium suum Henricum ipsis præficit. At illi, jugi impatientes præfectique juvenis pertæsi, nova moliuntur. Novum hoc belli incendium ut supprimeret, denuo exercitu suo Albertus advolat. Prosternit hostes, et, de Grœningensibus motus hujus auctoribus supplicia sumturus, castra movet. Febriliter maligna correptus, ex castris Emdam deportatur. Hic inopinato functus fato, ingens Saxonibus pariter ac Austriacis sui desiderium reliquit. Filii ejus Georgius & Henricus non æque frequentem hostes Austriæ fugandi occasionem natæ sunt. In patris aliquandiu castris contra Belgas militarunt. Ut unicum

unicum tamen avitæ in domum hanc fidei monumen-
tum extaret, in sedando rusticorum per Germaniam tu-
multu, & consiliis, & armis Imperatori affuerunt. Jo-
hannes contra Constans in armis, quæ tum Austricæ jura
defendebant, adolevit. Sex puer annorum expeditio-
ni contra Matthiam Hungarum interfuit. In Pannonia
dein inferiori & Italia Transpadana Austriacorum cau-
sam strenue egit. Nec bellicæ ejus virtuti sua laus, sua
præmia defuere. Cum enim omnium primus in moenia
obsessæ Albæ Regalis forti cōnamine evaderet, coronam
muralem a Maximiliano virtutis præmium tulit. At ve-
ro, quid diutius hic commoror? Tua nondum illustria
facta, strenue heros, Saxo fortissime, Mauriti, qui in
summa erga domum Austriacam fide vix parem, supe-
riorem neminem agnoscis, commemoravi. Digna tua,
quæ s̄epius renovetur, est gloria. Adeste, o cives, &
Principis, cum viveret, Austricæ fidissimi bella mirami-
ni! Saxonia heroem non cepit: Pannoniam itaque glo-
riæ acquirendæ majoris cupidus ingreditur. Budam &
Pestum Turcis eripere tentat. Proeliis parvulis cum ho-
ste contendens, & equo dejectus, summum vitæ discrimen
incurrit. Ex Hungaria tamen, singulari suorum fide ad-
jutus, salvus & incolumis reddit. Postea Carolo V. anno
1544. in Belgio auxilio est, resque ibi suas gerit egre-
gie. Lite de religione orta, ingentes per Germaniam
tumultus excitantur. Fœdus sic dicti Protestantes, irani
Cæsaris metuentes, contra quemvis oppressorem defen-

dendis Smalcaldiæ pangunt. Sed Mauritius de Cæsaris animo certior factus, fideque a Cæsare de religione protestantium armis non extirpanda accepta, alia iniit consilia, fidusque in Cæsarem huic novo fœderi Smalcaldico subscribere dubitavit. Nisi enim Mauritius copias suas cum Imperatoris exercitu conjunxit, nisi acriter pugnasset, nisi socero, de Cæsaris gratia ambienda, armisque certis conditionibus exuendis, auctor sua forque fuisset, neque Joannes Fridericus Princeps Saxonie Elector, neque Philippus Hassiæ Landgrafius captivi in Caroli manus incidissent. Devicti ergo Mauritii armis atque consilio socii principes, quorum potentia & gravis in Imperatorem indignatio Austræ admodum periculosæ erant. Et quamvis, uti est in rebus humanis, inter Cæsarem & Mauritium dissidia orirentur, ita ut hic gladium stringere fas sibi putaret: non tamen ipsius labefactata fides est, quin potius conventu Paslaviensi quamvis occasionem, qua in gratiam cum Cæsare rediret, facile arriperet. Ne vero Cæsar de Mauritii fide ejusdemque integritate dubitaret, animose repentinæ Solymanni, Turcæ, in Hungariam irruptioni sese opposuit. Et hoste profligato tantum Turcis terrorem incusit, ut ne hincere quidem contra Pannoniæ incolas auderent. Neque tamen continuis his belli molestiis incredibili virtute heros defatigari unquam potuit. In armis semper fuit. In armis etiam vicit occubuit. Motus in vicinia Albertus, Marchio Brandenburgicus, excita-

citaverat. Sancitum erat Passavii, ut omnes Imperii
 Principes milites suos dimitterent. Id facere Albertus
 detrectans, cum iniqua ratione Franconiam depopula-
 retur, ab Imperatore proscriptus est. Mauritio proin-
 de intolerabilem Alberti ferociam infringendi negotium
 datur. Hic, socii rebus optime consulturus, amice Mar-
 chionem, ut cœptis defisteret, admonet. Ast surdo
 narratur fabula. Ad Peinam itaque in agro Hildesiensi
 exercitum suum in acie Mauritus collocat. Albertus, de
 novo officii sui admonitus, pacis conditiones aspernatur,
 multoque vino calidus signa in hostes converti jusfit. Sa-
 xones primo inopinatum hostium impetum vix susti-
 nent. Brevi tamen redintegrantes animum hostes, qua-
 tuor millibus cæforum in acie relictis, terga vertere co-
 gunt. Mauritus vero medios inter suos acerrime pu-
 gnans, a tergo globo transjectus, cadit. Talem vitæ exi-
 tum, ut pro Germaniæ salute victor occumberet, heros
 noster habuit. Mauritium Augustus frater exceptit, Prin-
 ceps æterna laude dignissimus. Quatuor enim Impera-
 toribus ex Austria oriundis pietate sua & amore ita sese
 commendavit, ut nihil fuerit supra. Maximiliano II.
 Turcæ conatibus obviam eunti frequentia in Hunga-
 riæ auxilia misit. Nec levem victoriarum, quas de ho-
 stibus tum temporis Austria reportavit, partem miles
 Saxonius jure sibi vindicat. Grumbachiana postea
 conspiratio, toti Germaniæ funesta & exitiabilis, com-
 muni Imperii ordinum consensu suppressa Augusto
 tradi-

traditur. Princeps justissimus, amore in agnatum neglecto tantisper & posthabito, publicam privatæ præfert utilitatem, & iusta Cæsaris lubenter exequitur. In patrum itaque arma convertit. Gotham cum arce trium mensium obsidione capit. Justa de seditionis supplicia sumit. Pacem subditis restituit. Metum Germaniæ exuit. Et re tandem ergregie gesta, viator domum revertitur. Quo propius ad nostra tempora accedimus, eo magis Saxonum in Austriam pietatem crevisse, observamus. Sub initium seculi decimi septimi Christianus II, gloriösæ memoriae Princeps, Saxoniae habenas moderatus est. Cujus in Austriam fidem verba, quæ in ore frequenter habuit, se nimirum Deum timere, & omni Cæsarem honore prosequi, testantur. Cum enim Rudolpho II. grave a Turcis immineret bellum, tormentis variis generis bellicis, contra juratum Austriae hostem adhibendis, ipsi subvenit. Biennio autem post tales Imperatori suppetias adduci jubet, quales ante eum miserat nemo. In medio tamen fidei suæ declarandæ cursu præmatura morte impeditus, partes suas hac etiam in re Johanni Georgio I. reliquit. Hic in solarium quasi Austriae natus, ea, quæ adhuc deeserunt videbantur, largissime supplevit, & se suaque omnia Imperatoris commodis fideliter tradidit & addixit. Quo vero orationis genere, qua laude, quibus verbis illustria & rara hujus fidei monumenta efferam, ego sane nescio. Balbutire tamen, quam plane silentio illa præterire malo. In illa Johannis Georgii I. regimen inci-

inciderat tempora, in quibus nutantes & ferme labantes
 Austriacorum res fortem vindicem fidumque adjutorem
 efflagitabant. Fœdere enim in Germania Protestantes
 Halæ Svevorum inito, se conjunctis viribus unicuvis reli-
 gionis ipsorum libertatisque oppressori obviam ituros,
 sanctissime invicem promittunt. Quod, quantum debi-
 to Imperatoris honori derogaverit, fœdus, quamque
 formidolosum Rudolpho II. fuerit, quilibet facile intel-
 ligit. Sed tantum absuit, ut Johannes noster Georgius
 fide data eidem subscrisserit, quin petius Henricum Ju-
 lium Brunsvicensem & Ludovicum V. Landgrafum
 Darmstadiensem auctoritate sua ab eodem retraxerit.
 Hoc intemeratae in Austriam fidei exemplum secuta sunt
 plura. Gliscens adhuc Bohemorum in Regem suum
 odium in publicas erumpere hostilitates cœperat. Fer-
 dinandum enim II. Regem salutare detrectantes, summa
 imis moliebantur. Mortuo Matthia Ferdinandus Ro-
 manorum Rex, frementibus licet Bohemis atque rin-
 gentibus, Saxonis svasu potissimum ac apud ceteros Ele-
 ctores auctoritate, Imperator eligitur. Curam hic pa-
 candæ Bohemiæ Principi Saxoniæ Electori, cuius in Au-
 striam fidem cognitam penitus & perspectam habebat,
 committit. Blande Bohemos literis Saxo alloquitur.
 His cum parum efficeret, arma addere verbis decernit.
 Conscripto itaque Dresdenæ milite, bellum seditionis in-
 fert. Budisiam cum aliis Lusatiae Bohemiæque urbibus
 expugnat, Silesiæ ordines in gratiam recipit, & deacre-

C

toria

toria illa ad Pragam pugna feliciter depugnata, pacem Bohemiæ diu desideratam anno supra millesimum sexcentesimo vigesimo primo restituit. Et licet fortissimus Heros, potentia Austria in summum fastigium evecta, de religione sibi timens, in Svecorum partes aliquamdiu traheretur; primus tamen fuit, qui, amicitiæ cum Austriae olim cultæ memor, pace Pragensi cum Cæsare in gratiam rediret. Moram enim belli magis, quam ipsum bellum Imperator pariter & Saxo metuentes, Pragæ anno seculi decimi septimi trigesimo quinto convenient. Vis Edicti Restitutorii in quadraginta annos differtur. Augusto Magdeburgum, Johanni Georgio Lusatia ad sumptus, quos in bellum Bohemicum fecerat, resarcendos, traditur. Quod salutaris hæc pax Austriae fuerit, ipse Ferdinandus II. Imperator publice fas sus est; Johannes Georgius I, inquiens, honesta moderatione iram temperavit, & non modo se amicum Cæsar, sed patrem domui Augustæ exhibuit. Et pax profecto hæc totam rerum in Germania faciem mutavit. Bohemia jam ab hostis excursionibus erat tuta. Duces plurimi auctoritate Saxonis inducti castra Svecorum deserunt, ipsique Cæsari arma, quibus tot Austriae hic usque inflixerant vulnera, commodant. Hæc fuerunt arma, quæ per longam satis annorum seriem Svecos atroces Imperii hostes percutientia insigni illa pace Osnabrugensi anno 1648. Germaniam donarunt. Pace hac & fide sempiterna in Austriam confirmata, Johannes Georgius satur anno-

annorum, satur victoriarum, satur gloriæ anno 1656.
 a vita discessit. Regionum non minus quam virtutum
 paternarum ex asse hæres Johannes Georgius II. quam-
 diu fuit, in demonstranda sua in Austriam pietate, to-
 tus fuit. Sacri Romani imperii Vicarius post pia Fer-
 dinandi fata rebus Austriacis tam egregrie consuluit, ut
 omnium oculos in se converteret. Novo sua potissi-
 mum commendatione electo Imperatori Leopoldo nova
 antiquæ fidei specimina exhibitus Johannes Geor-
 gius II. pro totius Germaniæ salute fortiter belligeravit.
 Efferens tunc temporis caput suum Francia, de Austriæ
 jure varia decerpere, superbo conatum moliebatur. No-
 verant Galli Johannis Georgii II. vires, fidemque in
 Imperium Romanum plane singularem. Hanc itaque
 labefactare, illas in suas partes trahere tentabant. Sed
 irrita erant consilia, irritæ blanditiæ eorum. Ut saxum
 Saxo stans immotus Cæsari vires suas jungit. Nec levi-
 cum damno suo, Saxone in victoriis adsvetum terga ver-
 tere nescire, Francia didicit. Sed hastis Galli aureis
 pugnantes Svecorum vincunt constantiam. Ære hinc
 Francico conductus Sveco Marchionatum Brandenbur-
 gicum milite & armis invadit. Saxo tamen, ne aliqua in
 re & suo & Austriæ socio deesse videretur, selecta manu
 Marchionem adjutum ivit. Litibus hisce pace Neoma-
 gensi aliquantis per compositis, ut suum Johannes Geor-
 gius II. gaudium de liberata Germania significaret, dies
 laudibus Divinis festos egit. Haud diu tamen post pa-

cem hanc superfuit; sed Freibergæ anno millesimo sexcentesimo octogesimo obiit. Funestus hic quidem obitus Austriae varia mala minari videbatur: sed Johannes Georgius III. Patris in locum succedens, cum eodem, ac plane singulari in Austriae amore flagraret, solatio hoc esse poterat Domui Augustæ. Plures annos Johannes Georgius III. parente adhuc vivo in castris consumsit. Anno 1673. Gallos ad Mummenheimium paternis legionibus prostravit. Sequenti anno, hyeme nondum confecta, nova Imperatori in Wetteraviam adduxit auxilia. At vero quid molior? Bella herois, cum viveret, maximi recensere audeo? Hæc certe horæ, quod superstet, spatiū non capit. Hinc brevis ero. Summa tua fortissime Saxo, in Austriae sunt merita, summa Tua in Imperatorem pietas. Tua Saarbrückam occupavit virtus. Te Duce Galli ad Didenhofium sunt fugati. Tua prudentia rem ad Rhenum gesit egregie. Tua potissimum arma Leopoldo Viennam suam reddidere, annumque seculi decimi sexti octogesimum tertium, qui toti Germaniae funestissimus esse credebatur, præclarissima victoria nobilitarunt. Novit vires tuas Pannonia. Audit nomen tuum Turca & contremisicit. Victor ex Hungaria redux Gallos debellas. Quot, quæso, tropæa tua Rhenus miratur? Quot urbes e Galli faucibus eripuisti? Heilsbrunna, Dielsberga, Moguntia Te Duce feliciter expugnantur. O animi excellentis magnitudo & præstantia! O fides plane singularis! Adeste, pii Saxoness

xones, adeste grati Austriaci! Per ego vos vestram pietatem, per ego vos omnia, quæ chara vobis sunt & accepta, oro atque obtestor, ne, quæso, committatis unquam, ut excellentissimi Principis memoria apud vos intermoriatur. Mortuo Tubingæ Johanni Georgio III. filius tanto patre dignissimus, Johannes Georgius IV. anno 1691. & regimen & bellum & fidem patris continuat. A teneris jamjam bellis pro Austria adsvetus, egregia quævis Imperatorem a se sperare jubet. At enim vero, ut res sunt mortalium, monstraverant saltem fata tantum Principem Germaniæ. Et medios inter belli Francici apparatus præmatura nimis morte obiens, quæ ipse meditabatur, tropæa charissimo Fratri reportanda reliquit. Graviter quidem Germania jacturam hanc suam lugebat. Rem tamen Romano - Germanicam cum sub Potentissimi FRIDERICI AUGUSTI auspiciis stare & ad invidiam usque florere videret, abstensis lacrymis lætabunda sibi de tanto Principe gratulabatur. Et habet profecto Austria, habet Saxonie, habet tota, qua patet, Germania in Potentissimo AUGUSTO nostro, quod exoptat. Ignoscite, o pii manes Ducum, quos patrum olim ætas vidit, Saxonie, ignoscite, inquam, si dixerim, excellentias atque præstantias, quas singulas in vobis singulis majores nostri admirati sunt, in uno Serenissimo nostro FRIDERICO AUGUSTO confici omnes. In Te, Pater patriæ Clementissime, fortitudinem Friderici Bellicosi, clementiam Friderici Placidi, gravitatem

Wilhelmi, animum excelsum Alberti, sapientiam Friderici Sapientis, magnanimitatem Johannis Friderici, dexteritatem & artis bellicæ peritiam Mauritii, prudentiam Augusti, fidem Christianorum, constantiam erga Imperatorem Joh. Georgiorum ea, qua cogitari potest, cum pietate cives TUI osculantur. Avitam in se Saxonum fidem & benevolentiam summum in TE ascendisse fastigium, gratissima mente Austria agnoscit. Fidissimum TE pariter ac fortissimum heroem illustria, quorum fama terrarum orbem implevit, facta loqvuntur. Per timesunt nomen Tuum Ottomannidæ. Recordatur adhuc Francia vulnerum, quæ in tribus expeditionibus Rhenanis, in quibus gloriofissimæ memoriae patri comitem TE dedisti, strenua Tua manus illi infixit. Quantum vero juratis Imperii Romani hostibus, Turcis, pavorem nomen Tuum injecerit, tot ac tanta, quæ ex Hungaria reportasti, victoriarum monumenta, quod sat is est, testantur. Anno enim supra millesimum sexcentesimum nonagesimo quinto primum in Turcas expeditiōnem Serenissimus noster FRIDERICUS AUGUSTUS suscepit. Achmet Turcarum Imperator Transylvaniam numeroſo exercitu invaserat. Hujus invictissimus ille Leopoldus impetum ut frangeret, Potentissimum Saxonem nostrum, cuius maximæ fortitudinis diu jamjam admirator fuerat, illi cum summo imperio obviam mittit. Animo consilioque paratisimus Princeps hostibus acriter insistit. Sed tantum abest, ut incliti Saxonis vultum

vultum Ottomannidæ ferrent, ut potius, de Transylvaniæ expugnatione desperantes, maturata fuga regredierentur. Anno sequente gloriæ, quem semel ingressus erat, campum strenue percursurus cum quatuor Saxonum millibus Viennam petit. Jungit Saxones suos Imperatorio exercitui, &, Marozio flumine transmisso, Temeswarium versus castra movet. Achmet Turcarum Imperator hujus obsidionem, quam suspicabatur, impediturus, cum omnibus, quas festinatio cogere permisera, copiis suis advolat. Saxones Turcarum adventu nihil perterriti, felicem belli exitum Duce AUGUSTO ominantes, integris animis in aciem prodeunt. Signa cum hoste conferunt. Incerto prælii exitu Marteque communi summa contentione diu pugnatur. Ducis tandem exemplum secuti Saxones, media hostium acie perrupta, gloriosam adipiscuntur victoriam. Quæ licet multorum sanguine atque vulneribus steterit, omni tamen Hungariæ admodum salutaris extitit. Gravissimo enim hoste liberatæ Transylvaniæ res tutæ jam tranquillæque erant omnes. Exercitu per hyberna distributo vîctor fortissimus Saxo domum revertitur. Expedita tamen manu relicta plurimum, ut in pugna illa ad Zenthalm decretoria clarissima ad Imperatorem victoria veniret, contulit. Pace demum cum Turcis Carolovitii inita & confirmata, copias suas, ut alia quadam ratione Austriae saluti inservirent, evocavit. Rem, uti est, enarrabo totam. Solio Sarmatiæ Johannis III. obitu viduato, de novo

novo Rege eligendo Poloni erant solicii. Duo præ reliquis erant, ex quibus unum Regem salutare Sarmatæ inter se convenerant, Princeps nimirum Saxoniæ Elector & Comtæus Gallus. Alterum animi magnitudo ac fama rerum egregie ac fortiter gestarum, alterum Franciarum Regis promissa & blanditiæ commendabant. Illum Austria & Germania, hunc Gallia Regem exoptabant. AUGUSTUS tamen Leopoldi svasu, ac ut Austriae faceret gratum, oblatum Sarmatiæ diadema, quo dignissimus erat, capiti imposuit. Quanto emolumento Austriae hoc fuerit consilium, quilibet paulo emunctioris naris homo intelligit. Si enim res Gallorum regni Polonici accessione crevissent, Austria certe ante aliquot annos hostibus, Gallo scilicet, Polono, Bavarо, Ragozio Hungaro, undique circumdata tanto oneri, si divinari licet, succubuisse. Nec in his summa Potentissimi AUGUSTI in Imperatorem fides acquievit. Bello primis seculi duodecim annis Imperatorem inter & Gallum oborto, primus semper ea non solum, quæ debebat, sed plura quoque auxilia misit. Et idem adhuc Saxoni Potentissimo in Carolum Augustissimum animus, eadem hodie est pietas, tot egregiis monumentis conspicua, ut omnium oculos incurrat. Sed cedant jam arma togæ. Videamus, Auditores omnium ordinum spectatissimi, utrum Saxonum in Austriam fides militiæ, an domi, fuerit major. Si vera fateri licet, fides illorum togata sagata palmam præripere videtur. Quanta enim industria, quanto labore,

quan-

quantis conatibus pia Saxonia Austriacæ domus honorem promoverit, dignitatemque ejus amplificaverit, & conservaverit, dici commode vix potest. Superiorum modo temporum memoriam apud nos recolamus, & de hujus rei veritate non sine summa animi voluptate convicti abibimus. Primus mihi historiarum monumenta perscrutanti Wilhelmus, Dux Saxonie, occurrit. Hic, quantus quantus fuit, in promovenda Austriæ dignitate totus fuit. Unicum hujus rei testimonium attulisse sufficiat. Post placida Alberti II. fata Bohemi, de novo Rege eligendo solliciti, Wilhelnum Saxonem, ut Regni Bohemici habenas moderaretur, adeunt. Nulla tamen ratione Princeps pius, ut suam in Austriam fidem mutaret, adduci potuit. Nec minori pietate in Austriam præclarus Ernestus Saxonie Dux auctoritate sua ac oratoria vi dicendi, ut Romanorum Rex Maximiliani I. parente adhuc vivo constitueretur, Imperii Ordinibus persvasit. Idem Fridericus Sapiens, cum, Maximiliano I. fatis functo, Germania de novo Rege sollicita esset, effecit. Ita enim in comitiis Francofurti 1519. habitis disidentes Principum Electorum animos conciliavit, ut communi omnium suffragio Imperator Carolus

D

lus

Ius salutaretur. Dignum enim Electores Fridericum Sapientem, qui Regni Insignibus ornetur, cum ad unum omnes judicarent: animo constante per triduum oblatam Imperatoris dignitatem refugit ac deprecatur. Paternæ, potius intercessionis memor Electores, sua, qua quondam usus fuerat gravitate, ut Carolum Maximiliani nepotem rebus Germanicis præficerent, adduxit. Et vera sunt, quæ Erasmus testimonio Episcopi Leodien sis affirmat: Nunquam Imperii titulum Carolo contingere potuisse, nisi Fridericus deprecatus eset; clarior honore contento, quam fuisset adepto. Successu temporis eandem operam Princeps Saxoniæ Elector, Augustus, Imperatoribus Ferdinando I. & Maximiliano II. navavit. Quantæ Johannis Georgii I. in Ferdinandi II. electione in Regem Romanorum partes sint; Quanto studio Johannes Georgius II. in amplificanda Austriæ dignitate nunquam non occupatus fuerit, res ejus gestæ loqvuntur. Leopoldo illi vere magno primus in bona causa adsuit. Imperii, Ferdinandis mortuis, per Germaniam Vicarius nihil, quod ad Austriæ splendorem aliquid facere arbitrabatur, intermisit. Convocatis postea Francofurtum Electoribus, ut Leopoldo Germania

nia pareret, effecit. Et per Deum immortalem! Quan-
tas molestias, quanta detrimenta, quantas clades, quan-
tas hostium direptiones fida Saxonia, ut Austriæ tan-
tummodo bene sit, toleravit? Maximi profecto pretii
Saxonibus sua in domum Austriacam pietas semper ste-
tit. Opes, copias, animi corporisque vires, &, stupen-
dum auditu, vitam cum sanguine pro illius salute im-
penderunt. Num, quæso fides cogitari potest major.
Valde dubito. Nec sua huic assertioni testimonia de-
sunt. Notissima sunt Alberti, Saxonis illius Animosi,
verba, qui plus semel, se lætis, dixit, lubentibusque ani-
mis suspendio vitam finiturum esse, si modo Imperium
Romanum morte sua ex angustiis eripere posset. Quod
verbis se facturum Albertus indicavit, re ipsa Mauritius
præstitit, qui fortissime pro Austriæ dignitate pugnans,
fidem suam in Imperatorem sangvine suo obsignavit.
comes huic Johannes Georgius III. jungendus, qui in
castris, quæ Austriæ jura defendebant, occubuit. Hi
sunt fortissimi Saxonie heroes, quibus pietate in do-
mum Austriacam nihil majus his in terris fuit. Hæc est
fides illa; quam maximi Germania æstimat, exteri vero
stupescunt. Age itaque, o fida Saxonia, age! accipe

D 2

laudes,

laudes, fruere præmiis, quæ summa tua in Austria fides consecuta est. Strenue in eo, quo omnem Germaniam antecellis, perge. Decurre avitæ, quod semel ingressus es, gloriae stadium. Fidem fidei, pietatem pietati adde. Et tu, Augustissima Austria; serva pristinum in Saxones tuos affectum, serva memorem in bene meritos animum. Nullas statuas, nulla marmora Saxonum fides sibi deposita. Hoc unum te orat, ut tibi de illis persuadeas, Saxones prius mori velle, quam committere, ut fides illorum aliquando detrimentum capiat. Rerum vero omnium præpotens Deus arctissimum hoc mutuæ amicitiæ vinculum per plura adhuc secula integrum conservet. Protegat Austria benevolentia, præsidio, custodiaque sua præstantissima. Adsit consilio auxilioque Saxoniæ. Et nova indies felicitate, novis accessionibus, novo splendore utramque domum clementissime augeat. Hoc ego, hoc una mecum omnes ingenui contentione quadam pietatis precantur.

Dum fidem Saxoniæ loquor, auditores honoratissimi, subit recordari meæ fidei ac pietatis, cuius testandæ causa

causa locum hunc occupavi. Summa cum pietate munificientiam TUAM, REX, FRIDERICE AUGUSTE, SERENISSIME, Pater patriæ Clementissime, qua me per sex integros annos civitate Scholæ hujus illustris dignatus es, osculor. Deus pro me gratias tibi referat, Clementiamque TUAM omnis generis felicitate largissime compenset. Vos autem, Præceptores, ea, qua decet, observantia ætatem colendi, Vos, inquam, cum intueor, erubesco. Vicit enim saepe numero fides Vestra pietatem meam. Nimis profecto longum foret omnia, quæ in me benignissime extare voluistis, beneficia enumerare. Hoc unum dico, Vos fidei Vestrae nunquam non ex asse fecisse satis. Rependat, cum ego nunc non possum, vicem Deus. Ad me quod attinet, omnia potius committam, quam ut ingrati labecula animi in me offendatur. Ut in reliquum etiam tempus amori ac benevolentiae Vestrae me habeatis commendatissimum, maximo Vos opere oro rogoque. Ego, quamdiu ero, Vester ero. Et abs te quoque, Dilectissima Commilitonum Amicorumque Corona, abs te quoque haud vulgaria intemerata fidei amorisque monumenta aservo. Recentissima semper eorum apud me erit memoria. Ultimum

D 3

Vobis

Vobis licet jam acclamem vale, de me tamen Vobis per-
suadeatis, per velim, me absentem etiam cœptam amici-
tiam non sine animi quadam voluptate continuaturum.
Valete o me! neque commilitonis quondam Vestri obli-
viscimini. Quod reliquum est, Te summum supplex com-
precor Numen, ut Patriæ, ut Afræ, ut Doctoribus, ut
Commilitonibus meis, ut mihi quoque nunquam non fa-
cias bene. Floreat nutrix hæc ingeniorum ac parens,
pia Afra. Floreant fidissimi Scholæ hujus Doctores. Flo-
reant Commilitones mei æstumatisimi. Et, o annue
Deus! vivant! valeant! floreant.



D 3

K 636

(x229 8508)

Ma 5



2 141

ORATIO
DE FIDE
DOMUS
SAXONICÆ
IN
DOMUM
AUSTRIACAM,
QUA
SCHOLÆ ILLUSTRI MISNENSI,
POST EXACTUM IN HAC SEXENNIO,
d. VI. Oct. Aug. A. cl locc xxx.
PUBLICÉ VALEDIXIT
CAROLUS ERNESTUS L. B. de METSCH.

DRESDAE,
LITTERIS HARPETERIANIS.

1X, 20 .

